De Prodigijs
IN CHRISTI MORTE

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

BENEDICTO
ODESCHALCO

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO

Vaticinium.

ROMAE, Ex Typographia Nicolai Angeli Tinassij. M. DC. LXXV.

De Prodigijs
IN CHRISTI MORTE

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

BENEDICTO ODESCHALCO

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO

Vaticinium.

Typographia Nicolai Angeli Tinassi. M. DC. LXXV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

BENEDICTO ODESCHALCO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

IOSEPH CACCAVARIVS

F OE L I C I T A T E M.

PArentantis Authori ſuo Naturæ Prodigia, ne amplius, his precipue diebus, (qui, cum vel violati, vel conſecrati ſint communis vindicis cæde, multo melius, quam Martiæ Idus ob tyranni Cæſaris mortem, Parricidij cognomen merentur) terreant Orbem, Aonijs vincta numeris, Tibi defero E. P. Satis enim

eſt, Mundum, vbique flagrante bello, ſeip
ſum ploraſſe. Sed quibus portentis trepidar
prius mentem aduertam? Hinc rimoſæ Ca
uariæ Rupes adeo execrandæ necis conſci
incluſa ſuſpiria è ruinarum ſpiramentis exclu
dunt, inde bellica tormenta aduerſus hoſtem
eiuſdem conſcia furoris ſæuis ænearum mon
tium puerperijs ſeipſa expectorant. Sed qui
mihi cum pugnis? Auerni militibus Tartare
in Regno gerenda bella relinquo: Ad ſol
mam vocat Pietas. Sed quo? comprehenſ
iam ab atris tenebris Sole, prorſus eripitur die
nec mirum. Deo Inferiæ humili ſoluuntur fu
nere, heu diſcrimen! honeſtauit enim eiu
dem cunabula multiplicatis ſyderibus Polu
modo cunctas, Eo moriente, extinguit faces; ſe
noctem hanc ne ſomno natam putes; Man
enim, qui dormierant, reſumptis corporu
antiquorum exuuijs ſurrexerunt; ambiera
proculdubio ſepulcra tantum excipere hoſp
tem, itaut mortuos, quos diù in gremio geſſ

rant, ejecerint; ſuſpicatos reor, licet nondum nouiſſimam audiſſent Tubam, ex ſignis extremum Diem; Nec viuentes ab hac diſceſſerunt ſententia; Atratus coram Iudice ſuo mūdus, atque orbatus luminibus, quibus tam male viderat lumen ſuum, trepidat: Hinc nuſquam Eminentiſſime Princeps perfugij ſupereſt locus, niſi micante Purpuræ Tuæ ſplendore ductus, ad Te confugiam: audaciæ tamen ignoſcas quæſo. Arcebat quidem Tua Veneranda Majeſtas, ſingularis tamen Clementia, atque benignitas prouocauit, animauit, illexit; Neque mirandum erit, quod lacrimabiles gemitus, canoris metris deuinxerim, non ignoras enim proprium eſſe Cygni funeri exequiales admiſcere cantus, hoc vnum non me latet, laborare ſub ingenti materia tenues conatus meos, nec dignos eſse, qui tantum haberent Argumentum, tantumque Patronum; qualeſcunque

gnus ne dedigneris læta fronte ſuſcipere, Cui interea longam fælicis æui ſeriem voueo pre corque, vt Chriſtiano Orbi, publcæque vtilitati diù Viuas.

DE PRODIGIIS IN CHRISTI MORTE
Vaticinium.

SOl retro! Purpureæ potiori jure meabis
Limẽ ad Auroræ: prorſus nec mẽte receſſit
Grande Thieſteũ ſcelus: en Caluaria Scena
Panditur ætherei Regis temerata cruore
Hac celebri mœſtaque die, oſtentatque furorem
Iſacidum, & facinus, quo non immanius vllum
Mœnia Thebarum ſpectarunt, ſiue Micenæ.
Phæbe redi; & noſtras duplicato lumine noxas
Immenſumque Dei nos morte piantis amorem
Cernere da. Videant ſontes, pudeatque videre
Debuerit ſoluiſſe ſuas quæ Victima culpas.
Phæbe redi. Noſtra iſta dies. Cur ſemper Oreſtes
Iactentur ſcenis? aut cur pulſata fatiſcat
Ædipodionio toties Orcheſtra Cothurno?
Caſibus Argolicis Plectrum furare parumper (ſcũt)
Melpomene, (& quoniã lacrymas noua funera po-
Si qua eſt præſentes luctus memorare voluptas,
Incipe funeſta mecum ſub fronde Cupreſſi.
Triſte juuat carmen, lætæ procul eſte Camenæ.
Heu nil dulce canam. non hoc vult talia tempus,
Tene fleam Superum Rex, an magis execrer illos,

Quorum barbaries fecit, Tu vt flebilis eſſes?
O Furiæ, humana ſub imagine, ſontis Auerni,
Tortorum digni, Poliphemorumque Laniſtæ,
Hoc vobis licuiſſe immani perdere letho
Delicias terrarum, & Cæli munera Numen
Omnibus optatum ſæclis, genus ab Ioue ſummo;
Regia cui Solimæ, ſacri cui culmina Templi
Debuerant pandi, & fumare Altaria toto
Diuitis Arabiæ cenſu: quæ debita vobis
Præmia, quaſue precor pro tam furialibus auſis
Crudeles pœnas? poſtquam ſtagna horrida Ditis
Accipient ſontes Animas, non Cerberus oris
Tergemini rictu ſceleratos diſtrahat artus,
Non, Iecur æternùm Titij qui lancinat, Ales
Vnguibus, & roſtro fibras populetur adunco;
Carnifices veſtri vos eſte; haud tetrior vllus
Tortor in immenſo, & vobis ſit dignior Orco.
Caluariæ Rupes, morienti conſcia ſaxa
Regi, funeſtæ rupes, feralia ſaxa
Caluariæ, nunquam è cœlo vos irriget imber
Matutinus, honos florum neque veſtiat vnquam,
Omnis enim decor in vobis, omniſq voluptas,
Omnis amabilitas, vno cum Numine, fato
Occidit: heu ſæuæ rupes! & crimine tanto
Securæ! nihil in vos diræ aut carmina poſſunt.
Omnia ſint tanti: roris vos ſcilicet almi,
Aut florum deſiderium, & contingat egeſtas,

Diuini pluuias, quas ſanguinis imber inundat?
Parcamus diris. Vos letis frondibus Auræ
Aſſuetæ Platani mecum, nemorumque Volucres
Carminibus ſolitæ toties colludere noſtris,
Candida ſi vobis Fortuna, & funere nullo
Gaudia leſa, alios felices quærite Vates,
Qui dulci calamo genialia carmina fundant;
Ioſephi penitus fugit de corde Voluptas.
Ite alio lætæ Volucres: mihi triſtis Hyrundo,
Aut ſi qua in ſyluis vacuos gemit Ardea nidos,
Anguſta in cauea aut repetit Philomela querelas,
Adſit, & admodulet queſtus, lamentaque miſcens
Alternet gemitus mecum, alternetque dolores.
Tu tamẽ Auſonię Decus ac ter maxime Princeps,
Palladis auricomæ, Themidiſq; inſignis Alumnus
Nomina Patrum inter, queis rectrix maxima mũdi
Roma coronari gaudet, tantoque Senatu
Eminet, atque Orbi preſcribens ſacra ſuperbit
Dogmata, queis ſtygij Manes, queis Cerberus horret
Eumenideſque atræ, gens implacabilis Orci,
Sanguine quæ fuſo gaudent; ſtellantis Olympi
Cœlicolæ contra letum Peana reſultant:
Incultam hanc Vatis non dedigneris Auenam,
Et triſtes attende modos; velut aure benigna
Supplicis audiſti gemitus, & triſtia vota
Sarmatiæ, Odriſio gelidos lacerante Triones
Gradiuo, qualis congeſto flumine torrens

Iam ſolitæ dedignatus cunabula ripę,
Oppoſitas vrget rupes, humileſque ruinis
Damnat agros, ſiccas, aut depopulatur ariſtas
Flante Noto, rapidus totaſque in pabula vertit
Æternas ſyluas ignis; velocior Euro
Sic volitabat Equis Furor, immenſoque tumultu
Barbara confertis vrgebant agmina telis.
Ferreus haſtarum hinc Turbo, amorumque procella
Agmina ſternebat ſacris deuota latinis;
Plumbea cum Grando volitanti pondere terras
Apprimeret, ſubito te Præſide vidimus auro
Fulgere, quæ rigido ſquallebant ſæcula ferro:
Nempe velut denſos currentia munera nimbos
Cernere ſemper erat: Thraces iam ponite ferrum?
Nil plumbo hic juris. noſtris ſaturnia terris
Sæcla fluunt. Princeps nempe Odeſchalchius illa
Purpureus cudit, centum mox cudit eodem
Fama Tubas auro; gentes queis lęta per omnes
Grande ferat Nomen; poſtque vltima fata ſuperſtes
Pulcrior à Tumulo, tam clara Nepotibus edat
Geſta ſacri Herois, quæ nec ventura ſilebunt
Luſtra, nec jgnota rapiet ſub nube Vetuſtas.
O igitur faueas Vati, perque auia Pindi
Me vehe, & ingenio diuinum Helicona reclude;
Vt tua, ſit modo vita comes, Præconia, quamuis
Exiguus Plectri, tantis nec idoneus auſis,
Proſequar, & ſæclis memorem diſcenda futuris.

Interea hic mea Muſa ſile, lacrymiſque ſubortis
Pone modum, ſimul ac turgentia lumina terge,
Iſacides donec meliori voce Sacerdos
Talibus aggreditur dictis atque ore profatur.
Quæ noua tranquilli faciem Nox efferat orbis
Auſa diem medium, non & ſua tempora nigris
Irrupiſſe rotis? Stygiæ ne vliginis illam
Conflauit vapor? An ſenio defeſſa vetuſto
In Chaos antiquum properant Elementa reuerti?
Aſpice. Sol medio dependens æthere, curſus
Vergit in Occaſum, tenebriſque obnubilat orbem!
Illi nec cæci trepida in vertigine Mundi
Accendiſſe vacat ſtellas, ſeu Lampada Lunæ.
Omne jubar prorſus nigranti ex axe periret
Ni cœlo ammiſſam repararent Fulgura lucem.
At ferale rubent ſupera in ſtatione comati
Ignes, horrendo aſpectu varijſque figuris.
Quid memorem horrificis latè volitantia formis
Vmbrarum Simulacra? erumpenteſque ſepulcris
Attonitos, meſto comitante cadauere, Manes?
Quid memorẽ ingentes gemitus, mœſtaſq; querelas
Auditas inter ſyluas, mediaſque per Vrbes?
Quid Solimi Templi venerandum gentibus olim
Exciſum velum & ventorum turbine raptum?
Vnde repentinus Libani ſuper ardua terga
Incubuit, vertitque omnem è radicibus imis
Turbo triumphalem Syluam, Cedriſque ſuperbam?

Quin etiam horrendum! visi concurrere Montes
Montibus effractis, trepidanti terra fragore
Soluit in exesum gremium se, imasque cauernas.
Iordanes Superis quondam gratissimus amnis
Et Superum Regi, ignoto mæstissimus antro
Occuluit caput, atque atro velatus amictu
Muscosos humeros, muscosaque pectora, arenis
Incumbens, lacrymis auget manantibus vndas,
Mox etiam terræ furibundo absorptus hiatu,
In mare non, liquidas in Tartara detulit vndas.
An referam nemorum auditas de nocte querelas,
Latratusque Canum? sudantia marmora Templis?
Nulla quies. timidumq; fugit genus omne ferarum.
Insuper ardentem, ruptis fornacibus, Æthnam
Vidimus ad syculos flammas immittere campos.
Quin mesto Cœlo delapsus sanguinis Imber
Purpureo latè per campos gurgite fluxit.
Quod genus exitij portenta hæc sæua minantur?
Et quasnam ista dabunt diras præludia scenas?
Oceano an rursus largo molitur aquarum
Omnipotens Genitor totas sumergere terras?
Crudeli an rursus nimbo desusus ab astris,
Ceu quondam, absumet populos Vulcanius Ardor?
Nil vulgare, nihil priscum quod viderat œuum
Venturum timeo! (nec me sententia fallit)
Nam fuit haud vnquam manifestior ira Tonantis,
Quam fibris Pecudum, ique imis aspeximus extis:

Nec tantum lacrymatæ Aræ, Pecudesque loquutæ
Vnquam, nec tanto strepuit Natura tumultu!
Heccine floriferi terris exordia Veris?
Talibus auspicijs Cœlo se ostendere gaudet?
Hoc anni Imperium comitatu, & Sceptra resumit?
Heu miseram rerum faciem! labefactaque Mundi
Fœdera & oh nimium nobis lacrymabile tempus!
O saltem liceat Superi cognoscere causas,
Queis, hoc exitium tantum descendit in orbem,
Et quem parturiant dira hæc miracula finem?
Non penitus nostrum trepidat formidine pectus;
Quin etiam hæc inter mærentia nubila fulget
Nescio lætitiæ quænam scintilla speique.
Scilicet haud memori decessit mente, quod olim
Maximus interpres Diuinæ Legis Iacob
Sæpe mihi cecinit puero: fœlicibus annis
Edite cresce Puer, tecum Rex crescet Olympi,
Qui valida dextra Isacidas in Sceptra reponet.
Vergit in obscurum tumulum mea tarda senectus,
Vos spes in tantas Iuuenes modo crescite terris,
Venturisque hilares fatis aduertite mentem:
Quæ vehit optatam mortalibus hora salutem,
Non illam partu dabit orbi Aurora sereno,
Lucida nec rosei cunabula Solis habebit.
Noctis ab amplexu densa caligine tecta
Per vaga syderei Cæli conuexa feretur
Prodigijs varijs volitantibus ordine longo

Ante ipſum currum, diris, feralibus, atris;
Attamen attoniti metuenda hæc ſcena pauoris
Lucem orbi pariet luſtris labentibus olim,
Cui preſeruatum totus ſe debeat orbis.
Hæc Senior: Quis vero ſciat num nubila Solem
Iſta ferent illum, quo exorto gaudeat orbis?
Vere tener mundus lucem conſpexit amicam,
Et data ſunt paruo cunabula lucida Soli.
Vere etiam rurſus renouari ſæcula fas eſt:
Quodſi per cladem naturæ & funera Mundi,
In populos lux iſta venit lucemque laborant
Aſtra dare hanc, trepidi Mortales ponite fletus.
Tuque Deus Cæli, ac rerum iuſtiſſime Princeps
Fulmina congemina, & totam radicibus imis
Erue terrarum Molem, vel celſus Olympus
Decidat in nihilum, tenebris ſe veſtiat orbis.
Ipſa nec Aſtra vacent: gladij fulgore nitentis
Empirei ſcindat Regnum nimboſus Orion,
Vertat Apollineos currus, Phæbique Sororem
Precipitet Cælo, Stellarumq; obruat ignes;
Omnia ſint terris rudis, indigeſtaque Moles.
Poſt Cæli tamen hos Elementorumque labores,
Phœnici veluti cinis eſt certiſſima vitæ
Sementis, meliorque ſuo conſurgit ab igne:
Sic Natura ſua melior de clade reſurgat,
Alter & hinc terris naſcatur temporis ordo,
Lumine veſtitus meliori rideat Æther,

Frigora nec timeat Capri, flammaſque Leonis,
Exulet acris hyems, totos ver occupet annos.
Inſuper æthereo tellus circumflua rore
Haud vllas poſthac pariat per Rura Cicutas,
Nulla Aconita ferat, Lybicos neq; nutriat Angues;
Longe abſint Lolium, Tribulique & Carduus aſper,
Sed grauidæ teneant Fruges, Zephiroque colono
Traſcendant vota, & tranſcendant Horrea Meſſes;
Atque humor Bacchi, flaui Melliſque fluenta
Ilicibus manent, currant & læta per herbas.
Armenijs tuti ludant cum Tigribus Hedi,
Vberibuſque ſuis teneros Lupa nutriat Agnos;
Et teneri Pueri, queis mens ignara pericli,
Admoueant impune manum Serpentibus Afris:
Tunc etiam horribiles reuoluto cardine Iani
Claudantur Portæ, Paxq; aurea temperet Orbem.

PERILLVSTRIS ORNATISSIMIQVE VIRI

ALFONSI DE SEPTIS

Addictissimi Magnæ Deiparæ Famuli

ANATHEMA,

Quod periculosissimo in morbo eidem Christiparæ Virgini vouerat, proinde opem expertus, Seruatrici Optimæ vinctis hisce numeris soluit: Quare Ioseph Caccauarius-De-Septis eiusdem Alfonsi Nepos, & si libet, Filius, in Clauo Crucis, de qua hactenus Hyerosolimis, Spectante Virgine, æternùm suspendit

VOTVM.

OCcideram: fibras aggreſſis vndique morbis,
Atque atrę hęrebam pręda parata neci.
At dum Virgo tuam faciem complector & ora
Redditus eſt membris, qui fuit ante, vigor.
Gratia Virgo tibi, quę rite benigna vocantem
Audiſti & curas es miſerata meas.
Te Virgo amplectens merito non mortua vita e[...]